

peregre defuncti *Epistola*, quam excipit in *Cod. Epitaphium* jam supra relatum.

VII. fol. 61. p. 2. *Incipit Liber de Conflictu Viciarum atque Virtutum. Sancti Ambrosii Mediolanensis Episcopi.* Initium: *Apostolica uox clamat per orbem. atque in procinctu fidei positus. ne securitate torpeant dicit &c.* Alias tributus *Augustino*, ut nobis *Codd.* pluribus. Omissus in edit. *Maur. Ambrosii*, in edit. *Augustini* legitur T. VI. *Append. col. 219.* duobus *Capp.* nostro prolixior, qui finit c. 26. his verbis: *et mihi adhuc magis stupenda narranti fidem prebeto.* Autor genuinus videtur *Ambr. Autpertus S. Vincentii ad Vulturum in Benevento Abbas*, ut ex *Admonit. praeuia Maurianor.* diximus ad *Codd. supracit.* quos vide in *Indice.*

VIII. fol. 67. p. 2. *De Penitentia Salomonis* dictum *Augustini*, *Hieronymi* et *Ambrosii.* *Cod. CCCXLVI.* adest etiam dictum *Gregorii*, et Titulus: *De Salomonis Salute.*

CLXXXIX.

58 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 235. f. relictis Miniculatori literarum capitalium spatiis cetera nitidissime exaratus offert superflites XV. *Origenis Adamantii Alexandrini Commentariorum in D. Pauli ad Romanos Epistolam Libros*, a *Rufino Aquilejensi Presbytero X. Libris latine redditos*, contractos et suppletos. Praefationis *Rufini ad Heraclium*

hoc est initium: *Volentem me paruo subuectum nauigio omnia (oram) tranquilli littoris constringere &c.* Post hanc: *Incipit praefatio domini origenis super epistolam beati Pauli apostoli ad Romanos. Quod caeteris apostoli Pauli epistolis difficilior putatur ad intelligendum haec &c.* Ad calcem L. X. rursus habetur *Rufini Commendatio finiti Operis*, cui subjecta est rubrica literis quadratis: *Explicit Liber Decimus Explanatum Origenis in Epistola Sancti Pauli ad Romanos Rufino Traduttore.* Origenem *Libris XX.* in hanc *Epistolam* commentatum fuisse tradit *Cassiodorus*, *Institut. divin. lect. C. 8.* Interpolatos hos aevo suo, et deesse fere apud omnium Bibliothecas aliquanta ex ipso corpore volumina queritur in *Praef. supracit. Rufinus.* Ad didisse illum quaedam, breuiasse alia ex *Commendatione* pariter *supracit.* discimus, atque hinc sibi a quibusdam obiectum non diffitetur, cur *Operi* non potius titulum fecerit: *Rufini in Epistolam ad Romanos Explanatum Libri.* Sed, quod *Rufinus* noluit, *Hieronymo* ejus adversario postliminio obtrusum est. Proderunt enim sub ejus nomine *Commentaria nostra Venet. 1506.* Rationes hujus erroris vide in *Praef. T. IV. Opp. Origenis Dom. Caroli Delarue. Paris. 1759. f. cui Tomo ad pag. 458.* *Commentaria* praedicta post *Editiones Jac. Merlini, Erasmi Roterodami, et Gilb. Genebrardi* insunt. De *Origene et Rufino* adi si lubet, *Hambergeri nostri*

nostri *Zuverlässige Nachr. v. d. vornehmst. Schriftstellern. P. II. p. 574. et P. III. p. 38.*

CXC.

491 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 189. 4. a diversa manu currente calamo scriptus complectitur sequentia: I. Indicem Contentorum in *Origenis Homiliis* in IV. priores Libros *Moyssis*, prout ex *Rufini* interpretatione extant edit. *Maur. Opp. T. II. Paris. 1733. p. 52. f.* Initium: *In prima Omelia Origenis super genesin ponitur de inicio creaturarum. Quare arida appelletur terra &c.*

II. fol. 15. Tractatus e Scripturae, Patrum et Conciliorum effatis coagmentatus de Dispensatione prudenti et fideli Sacramentorum, cui manu coeva inscriptum: *Magistri Jacobelli*, id est: *Jacobi de Misa Theologi Prag. Partium Hussiticarum.* Initium: *Quia dispensatoribus in domo dei sacramentorum precipitur Math. VII. Nolite sanctum dare canibus &c.* Nihil in hoc Scripto absconum, cujus nemo eorum, qui de *Jacobello* egere, quod sciam, meminit.

III. fol. 39. *Excerpta de tractatu fidei contra diuersos errores super titulum de Summa trinitate et fide catholica in decretalibus contra illos qui non recipiunt purgatorium.* Triplex hic error impugnatur: quod nullum peccatum est ueniale, quod quando dimittitur culpa, dimittitur pena, et

Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.

quod suffragia ecclesie non profunt mortuis. Contra *Wicleffianos* in *Bohemia* Scriptum dirigi puto.

IV. fol. 51. Sententia catholica de Adoratione Crucis Christi, quae in fol. Codici praetexto dicitur *Magistri Stanislai de Znoyma.* Praemittuntur varia de triplici Cultu Latriae, Hyperduliae et Duliae, quid sit Adorare, Colere, quibus conveniens, de SS. Reliquiis, de piis Peregrinationibus, tandem triplici responso Crucis Adoratio et Veneratio adferitur. Initium: *Secundum sanctos doctores communiter loquentes videamus fraterne, quid sit venerandum &c.* Ad calcem: *Et sic est finis trium responsionum ad questionem qua queritur, Quomodo et qua adoracione Crux in qua Dominus noster pependit pro salute humani generis sit ueneranda. A. d. M^o CCCC^o XVIII. feria II. ante viti Martiris.* Quod de anno scriptionis intelligas, velim; Autor enim *Stanislaus*, si *Lupacio* in *Ephem.* ad d. II. *Octobr.* fides, jam anno 1414. e Concilio *Const.* revertens mortem obpetiit. Porro de hoc ejus Opusculo nullam mentionem fieri video.

V. fol. 75. Collectanea varia, maximam partem e PP. Scriptis de diuersis materiis, puta Sacerdotio, S. Caena, Eleemosyna &c. aliqua tamen Chronologica, et Moralia versibus et Rhythmis inclusa. Ita initio Chronologia sacra Evangelistarum, Patrum et Ordinum Religiosorum, ubi inter alia: *Anno domini 608. concedit*

N n impe-